



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput X. Quod spreto mundo, dulce est servire Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

bis, in me solo sperabis: quia nemo bonus, nisi solus Deus, qui est super omnia laudandus, & in omnibus benedicendus.

CAPUT X.

Quod spreto mundo dulce est servire Deo.

I. **N**unc iterum loquar Domine, & non filebo; dicam in auribus Dei mei, Domini mei, & Regis mei, qui est in excelsis.

O quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Sed quid es amantibus? quid toto corde tibi fervientibus?

Vere ineffabilis dulcedo, contemplationis tuæ, quam largiris amantibus te.

In hoc maxime ostendisti mihi dulcedinem charitatis tuæ, quia cum non essem, fecisti me: & cum errarem longe a te, reduxisti me: ut servirem tibi; & præcepisti, ut diligam te.

2. O fons amoris perpetui, quid dicam de te?

Quomodo potero tui oblivisci, qui mei dignatus es recordari, etiam postquam contabui, & perii?

Fecisti ultra omnem spem misericordiam cum servo tuo, & ultra omne meritum gratiam, & amicitiam exhibuisti.

Quid retribuam tibi pro gratia ista? Non enim omnibus datum est, ut omnibus abdicatis seculo renuntient, & monasticam vitam assument.

Numquid magnum est, ut tibi serviam, cui omnis creatura servire tenetur?

Non magnum mihi videri debet servire tibi; sed hoc potius magnum mihi, & mirandum apparet, quod tam pauperem, & indignum dignaris in servum recipere, & dilectis tuis adunare.

3. Ecce omnia tua sunt, quæ habeo, & unde tibi servio.

Ve-

Verumtamen vice versa, tu mihi magis servis, quam ego tibi.

Ecce cœlum, & terra, quæ in ministerium hominis creasti, præstita sunt, & faciunt quotidie quæcumque mandasti.

Et hoc parum est, quin etiam Angelos in ministerium hominis ordinasti.

Transcendit autem hæc omnia, quia tu ipse homini servire dignatus es, & teipsum daturum ei promissisti.

4. Quid dabo tibi pro omnibus istis millibus bonis? Utinam possem tibi servire cunctis diebus vitæ meæ!

Utinam vel uno die dignum servitium exhibere sufficerem!

Vere tu es dignus omni servitio, omni honore, & laude æterna.

Vere Dominus meus es, & ego pauper servus tuus, qui totis viribus teneor tibi servire, nec unquam in laudibus tuis debeo fastidire.

Sic

Sic volo, sic desidero: & quid-
quid mihi deest, tu digneris sup-
plere.

5. Magnus honor, magna gloria
tibi servire: & omnia propter te
contemnere.

Habebunt enim gratiam magnam,
qui sponte se subjecerint tuæ sanctif-
simæ servituti.

Invenient suavissimam Spiritus
sancti consolationem, qui pro amore
tuo omnem carnalem abjecerint de-
lectationem.

Consequentur magnam mentis li-
bertatem, qui arctam pro nomine
tuo ingrediuntur viam, & omnem
mundanam neglexerint curam.

6. O grata, & jucunda Dei servi-
tus, qua homo veraciter efficitur li-
ber, & sanctus!

O sacer status religiosi famulatus,
qui hominem Angelis reddit æqua-
lem, Deo placabilem, Dæmonibus
terribilem, & cunctis fidelibus com-
mendabilem!

O am

O amplectendum & semper optandum servitium, quo summum promeretur bonum, & gaudium acquiritur sine fine mansurum.

CAPUT XI.

Quod desideria cordis examinanda sunt, & ponderanda.

I. **F**ili, oportet te adhuc multa addiscere, quæ necdum benedidicisti.

Quæ sunt hæc, Domine?

Ut desiderium tuum ponas totaliter secundum beneplacitum meum: & tui ipsius amator non sis, sed mee voluntatis cupidus æmulator.

Desideria te sæpius accendant, & vehementer impellunt: sed considera, an propter honorem meum, an propter tuum commodum magis movearis.

Si ego sum in causa, bene contentus eris, quomocunque ordinaro: si autem de proprio quæsitum aliquid latet, ecce, hoc est, quod te impedit, & gravat.

2. Ca.